

med. V. 2 = in 9364. 7
Double
SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

DE

LOCIS IN PLEURITIDE
AFFECTIS, 1796

QUOD, 1

ANNUENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE,

PRAESIDE

VIRO ILLUSTRIS, EXCELLENTISSIMO,

IOANNE CHRISTIANO REIL,

MED. ET CHIRURG. DOCT.,

THERAP. PROF. PUBL. ORD., SCHOL. CLIN. DIRECT.,
CIVIT. HALENS. POLIATRO, ACAD. NAT. CURIOS. ET
SOCIET. HELVET. MED. CORRESP. SODALI,

UT

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME ACQUIRAT,

DIE X. MART. MDCCXCVI.

PUBLICE DEFENDET

MOSES LABAND,

SILESIUS.

HALAE,

TYPIS BATHÉANIS.

Er
Hilf
Viel
Viel

Doct
Bibl
Bibl

 LOCIS IN PLEURITIDE AFFECTIS.

I. Etymologia pleuritidis et antiquissima definitio.

I.

Vox *πλευρις*, male derivata a τῆς *πλευρας* hodierna significatione, antiquitus nil signavit nisi lateris, seu partium a costis tectarum morbum, cum *πλευρα* et *πλευρον* ad *DIOCLES* Caryslii aetatem latera generatim tantum et costas exprimerent.

Hinc membranam costas succingentem in morbo pleuritico pati nullus antiquorum auctorum, qui *DIOCLEM* antecesserunt, autumasse videtur. Quid quod *SORANI* Ephesii, Menandri filii, definitio pleuritidis communi consensu recepta fuisse apud veteres patet. Esse enim vehementem partium lateris internarum dolorem, cum febribus acutis et tussicula, Ephesius ille auctor statuit. 1)

A 2

2.

1) Apud CAEL. AURELIAN. acut. lib. II. c. 13. p. III.

Artis nostrae auctor divus ac stator, quamvis saepius meminerit morbi pleuritici, inprimis in libro de victus ratione in morbis acutis, nullibi tamen definitionem, qualem nos quidem requirimus, adjunxit, graduque tantummodo, non sede, differre pleuritidem a pneumonia autumavit. Ita enim jam ante eum Coi medici: 2)

Τῶν περιπλευμονίων αἱ ἐν πλουριτικῶν μετασυσταί, τῶν δὲ ἀρχῆς γενομένων ἀσφυκτικαί: quod Foësius ita vertit: Pulmonis inflammationes, quae ex laterali morbo permutationem accipiunt, iis quae ab initio fiunt, securiores sunt. PETITUS in difficili hoc loco laborans ita explicare studuit: distinguendum esse inter inflammationem κατ' ἐπιγενεσιν, et eam, quae κατὰ μετασυστῶν oritur: hanc esse securiorem, pluriesque in salutem transire, illam contra periculosiorem. 3) Quod vero discrimen, quantopere contradicat experientiae, quis videbit, qui vel paucissimos tantum auctores practicos evolverit. 4) Hinc MARTIANUS jam in commentario Coacorum praefationum

2) Coac. praenot. n. 397. p. 168. ed. FOES. secr. II.

3) PETIT. comment. in ARET. acut. lib. I. c. 10. p. 243. ed. BOEKHAAV.

4) Cf. GIANELLA de success. morb. lib. II, c. 6. p. 615. ed. SCHLEGEL in thesaur. pathol.

giorum alium significatum vocis ἀσφαλῆς subesse, affirmare ausus est, morbi nimirum σφαλλεσθαι i. e. everti nescii, seu pertinacioris, qui medicorum conatus eludat. Qui sensus vocis ἀσφαλῆς quanquam apud Plutarchum et Demosthenem de castellis et urbibus usurpetur, ad morborum tamen rationem traduci nequit. Unde factum est, quod MORGAGNIUS literam ἀ initialem omiserit, ut contrarius plane sensus inde eluceat. Vox enim σφαλιγος nonnunquam ab auctoribus classicis τῶ ἀσφαλει ea ratione opponitur, ut periculum signet. Ab hac autem voce σφαλιγος, σφαλιστρικὸν cum deduci nequeat, ἀκροσφαλιστρικὸν forsan legendum: quae quidem vox apud PLATONEM (republ. III. p. 397. ed. Basil. graec.) summum morbi periculum signat. . . Sed mittamus haec, et alium locum adducamus, ubi maius periculum pneumoniae, quam pleuritidi inesse HIPPOCRATES ipse 5) docet.

3.

Auctor libri de locis in homine, aliquanto junior HIPPOCRATE, qui sitne POLYBUS, HIPPOCRATIS gener, an alius, nescio, significanter pleuritidem pulmones ipsos afficere pronunciat. Quodū enim humores ex capite destillantes in utrumque latus irruant, fieri peripneumoniam; pleuri-

5) Aph. VII. 11.

pleuritidem autem, ubi alterutrum tantum latus, sive alteruter pulmonum lobus, patiatur. 6) Sequuti sunt hanc opinionem EURYPHON Cnidius, Hippocratis coaevus, EVENOR, PRAXAGORAS Cous, PHILOTIMUS, HEROPHILUS, aliique, qui neque decubitus in latere sano difficilem, neque tussiculam, nisi ex pulmonum affectu, explicari posse, contendebant. 7) Hinc itaque patet, veteres pleuritidis sedem in lateribus generatim, speciatim vero in pulmonibus quaesivisse.

II. Nupera et vulgaris morbi pleuristici definitio.

4.

Primus, qui aliud prorsus discrimen pleuritidis et peripneumoniae introduxit, DIOCLES Carystius, (CCCLX ante Christ.) anatomiae sedulus promotor, inde, quod saepissime pleuram in cadaveribus, qui aliis morbis extincti fuerant, inflammata conspiceret, concludisse videtur, pleuritidem hos aegros passos fuisse. 8) Ipsum quoque inventorem propriae membranae, quae costas succingit, arbitror.

Post Dioclem ERASISTRATUS Ceus punctiones in morbo laterali ex passione membranae succingentis,

6) HIPPOCR. de locis in homine, p. 85, sect. IV.

7) CAEL. AUREL. lib. II. c. 16, p. 115.

8) CAEL. AUREL. l. c.

gentis, quae nervosa, tenfa et tenuis fit, derivavit, sedulo inquirens in modum, quo sputa purulenta et tussis ex laborante pleura explicari possint. A venis enim, nescio quibus, abforberi pus et deferri in asperae arteriae ramulos arbitrabatur, hoc capite refutatus a Gale no. 9) Quae quidem ERASISTRATI opinio inde lucis aliquid accipit, quod sensibilitatem ipsum a nervis, durae meningis propaginibus, derivasse sciamus. Hinc ubivis nervos suspicabatur in partibus tendinosi, membranosis. 10)

5.

ERASISTRATI affectae neglexerunt cadaverum dissectiones ita, ut STRATO, genuinus ipfius discipulus et APOEMANTUS in vena secanda distingui non posse arteriam a vena (ridiculum dictu!) contenderent. 11) Parum itaque etiam idonei erant ad litem illam antiquam de sede pleuritidis componendam.

ASCLEPIADES quoque Bithynus, ut et hoc capite HIPPOCRATI contradiceret, a partibus ERASISTRATI stetit, 12) anatomiae ille quidem adeo

- 9) De locis affect. lib. V. p. 299. ed. Basil. graec. -- CAEL. AUREL. I. c.
 10) GALEN. de dogmar. Hippocr. et Platon. lib. VII. p. 311. 318. --- RUFF. Ephes. de appellat. part. corp. hum. lib. II. p. 651. ed. CLINCH.
 11) GALEN. de venaelect. adv. Erasistr. p. 1.
 12) CAEL. AUREL. I. c.

adeo rudis homo, ut nervos et ligamenta assiduo commutaret, neque arteriam a vena distinguere, ope structuræ, posset. 13)

6.

Varii sequentibus temporibus dogmatici, vel ERASISTRATI auctoritate, vel subtiliorum discriminum amore irretiti, adhaeserunt Diocleae opinioni de sede morbi pleuritici, inter quos eminent ARETAEUS et GALENUS. Ille quidem obiter tantum monet in pleuritide succingentem pati membranam: 14) hic vero pluribus locis 15) diferte et significanter hanc opinionem confirmat, simul quoque discriminat veram et spuriam pleuritidem: hanc afficere musculos intercostales, unde tactu dolor augeatur, illam vero membranam succingentem ipsam, unde punctiones tactu increfcere non posse. Vestigia GALENI posteriores Graeci scriptores ad unum fere omnes triverunt, uti solebant semper pedissequi ipsius esse: ex quibus citare liceat PAULLUM Aeginetam, 16) ALEXANDRUM Tral-
lianum,

13) GALEN. de usu part. lib. VI. p. 436.

14) ARET. causs. acut. lib. I. c. 10. p. 8.

15) GALEN. de loc. affect. lib. II. c. 3, p. 260, lib. V. c. 2, p. 300.

16) Lib. III. c. 33. p. 90. ed. Basil. graec.

lianum, 17) AETIUM Amidenum, 18) THEOPHANE-
NEM denique Nonnum. 19)

7.

Arabes quoque, Graecorum in verba jurantes, discrimen, quod Galenus statuerat, in hoc morbo assumerunt, veram pleuritidem quaerentes in panniculo costas ab interioribus partibus operiente, non veram seu notham in musculis intercostalibus. Ita judicaverunt ante EBN SINAM, SERAPION, 20) MUHAMED Zachariae filius 21) et ALI Abbatis filius, 22) qui uno ore שרצה vocant morbum, cujus radix Chaldaica שרץ pungere existit.

Princeps vero Arabum EBN SINA primus subtilius adhuc distinxit variarum partium thoracis internarum inflammationes. Pleuritidem veram, שרצה, quam etiam Persico nuncupat idiomate ברסאמא (סאם enim Persice inflammatio, et בר pectus signat) distinguit a דאח אלככב media-
pleurodyne, et hanc a דאח אלחאני mediastini inflammatione, hanc vero denique a דאח

17) Lib. VI. p. 260. ed. GUNTHER. ANDERNAC.

18) Tetrab. IV. ferm. 4. c. 76. p. 432. coll. STEPHAN.

19) Epitome, c. 129. p. 404. ed. BERNARD.

20) Tr. II. c. 21. f. 19. b. (ed. Lugd. 1510.)

21) RHAZ. contin. lib. IV. c. 3. f. 48. d. 92. c. (ed. Venet. 1519.)

22) Theor. lib. IX. c. 3. f. 65. b. (ed. Venet. 1492.)

דחא אלחנאם diaphragmitide. 23) Quas quidem species hypotheticas male verterunt traductores, male applicarunt scioli pedissequi principis hujus Arabum medicorum.

8.

KHALAF, Abu'l Kafem, qui Alzaharavius vulgo dicitur, sequitur divisionem AVICENNAE, veram quoque pleuritidem distinguens a pleurodyne et ab inflammatione mediaetini. 24) Hanc vero pleurae duplicaturam, mediaetinum puta, traductor hujus auctoris quoque cum diaphragmate male hoc loco commutavit, unde Latinobarbarorum varii errores nati sunt. Eamdem divisionem EBN ZOHR, s. Avenzoar assumsit, qui ipse mediaetini inflammationem expertus fuerat. 25) Ita quoque AVERRHÖES, qui pleurae veram inflammationem vocat חווי ברא (ab Arabico חוי afflictio et perfico בר pectus. 26)

9.

23) AVICENN. canon, lib. III. fen. 10. tr. 4. c. 1. p. 647. ed. FAULLIN.

24) ALZAHAR. pract. tr. XIII. c. 8. f. 60. b. (ed. Aug. Vindel. 1539.)

25) AVENZOAR theisr, lib. 1. tr. 16. c. 4-6. f. 23. a, c, 24. a.

26) AVERRH. colliget, lib. IV. c. 58. f. 76. b.

Quam inscienter atque incuriose mediū aevi scriptores Arabica sua idola legerint verterintque, vel maxime ex hujus morbi historia patet. Namque CONSTANTINUS jam Africanus, Avicennae species ita expressit: "Si aqua destillat a capite ad diaphragma, et calidum apostema generat, oritur pleuritis vera, si autem ad membranam succin- gentem et musculos intercostales, oritur pleuritis non vera.", 27) Quamvis diaphragma CONSTANTINI nil aliud sit, quam mediastinum, male tamen insciteque totum locum ex Arabico idiomate vertisse videtur.

GILBERTUS Anglicanus in diaphragmate et costis veram pleuritidem quaerens, secundum quatuor humores eandem distinguit: negligit tamen signa, quibus dignosci possit ab inflammatione pulmonum. 28)

Ambigua voce panniculi distinguentis utitur ARNOLDUS VILLANOVANUS, quae et diaphragma et mediastinum exprimit: inflammationem enim panniculi distinguentis esse pleuritidem veram, panniculi cooperientis vero et muscolum intercostalium, non veram. Signis autem utriusque speciei diagnosticis haud ulterius inhaeret,

27) CONSTANTIN. Afric. de morb. cognit. et curat. lib. III. c. 12. p. 59. (fol. Basil. 1556.)

28) GILBERT. compend. lib. IV. f. 189. c. (4. Lugd. 1510)

haeret, sed pro caussarum humoralium diversitate eadem diiudicat. 29)

10.

Melius paullo antiquioribus rudem hanc atque indigestam materiem protulit Matthias FERRARIUS DE GRADIBUS, saeculo XV. Tres enim membranas, pleuram, mediastinum, diaphragma, constituere sedem verae pleuritidis, cujus diversae vero sedis signa diagnostica nullo modo erui posse: ubique enim adeste dolorem pungentem, pulsum durissimum, quoniam membranae tenues, tensae et nervosae afficiantur. Hoc utroque phaenomeno differre pleuritidem a pulmonum inflammatione, cum qua dolor gravativus, oppressio pectoris et pulsus mollis, conjungantur. Spuriam pleuritidem oriri a phlegmaticis humoribus. 30)

Taxavit vero etiam recentiores, quod et in diaphragmate quaesiverint pleuritidis sedem, 10. BAPT. MONTANUS, qui jam ad pristinam Graecorum genuinamque doctrinam reversus erat, restituit autem GALENI definitionem pleuritidis. 31)

II.

29) ARNOLD. VILLANOV. breviar. lib. IV. c. 5, p. 1381.

30) FERRAR. PRAX. in IX. libr. Almanfor. c. 53, f. 184. a. (4. Lugd. 1527.)

31) MONTAN. in IX. libr. Almanfor. c. 53. f. 287. b.

II.

Haec quidem vulgaris opinio, non obstantibus variorum doctorum virorum egregiis disquisitionibus, nuperioribus saeculis haud paucis adeo placuit, ut acriter pro ea dimicare eamque propugnare maluerint, quam curatori et saniori adhaerere theoriae. Ut de BALDI BALDI apologia hujus opinionis taceam, ISBRAND. DIEMERBROEKIUS argumentis et a ratione et ab experientia desumptis, praesens fulcire sedem pleuritis studuit. Pulmones enim esse obtusissimi sensus, hinc dolorem, affectis iis, non esse nisi gravativum. Experientia quoque edoctus in omnibus pleuriticorum cadaveribus pleurae solam inflammationem, si liber esset pulmo a pleura; si vero connata fuerit pleura cum pulmonibus, quod in tertia fere hominum parte contingat, pulmones simul inflammari, facilius quoque ejusmodi homines pleuriticos fieri. Extispiciis copiosis illustravit et confirmavit pleurae separatam inflammationem, separatis naturali statu pulmonibus, ubi et abscessum in pleura solitarium vidit. 32)

12.

Fide dignis observationibus pleurae solius inflammationem illustrare conati sunt FORESTUS 33)
et

32) DIEMERBROEK. anatom. lib. II. c. 13. p. 308. 309. (fol. Ultraj. 1685.)

33) Lib. XVI. obs. 28. f.

et RIVERIUS. Hic speciatim saepius quidem pulmones cum pleura simul esse inflammatos, saepius tamen pleurae inflammationem pulmonibus illaesis, conspexit. 34) RIOLANUS observavit in pleuriticis post mortem apertis, pleuram adeo tumidam, ut decuplo solito fuerit crassior, et propter necrosin hujus membranae costas livalentes. 35) Vidit etiam Prosper MARTIANUS in cadaveribus pleuriticorum pleuram inflammatam, putridam, gangraenosam et abscessibus confitam. 36) Sic quoque WILLISIO ex anatomicis observationibus innouerat, pleuritidem in pleura inflammata sedem habere, licet nonnunquam pulmones simul afficiantur. 37)

Pleuram inflammatam in cadaveribus pleuritide extinctorum invenit HARDERUS. 38)

Gangraenam pleurae post dolorem pleuriticum detexerunt in cadaveribus LAZARUS A SOTO et ZACUTUS LUSITANUS. 39)

Hinc

34) RIVER. prax. med. lib. VII. c. 2. p. 300. 301.

35) RIOLAN. authropogr. lib. III. c. 5. p. 334. (4. Paris. 1626.)

36) Comment. in HIPPOCR. de locis in hom. vers. 261.

37) Pharmac. rational. tom. II. sect. I. c. 9. p. 197. (12. Hag. Com. 1677.)

38) Apiar. obs. 53. p. 223. 224.

39) BONET. sepulcret. lib. II. sect. 4. p. 629.

Hinc SENNERTUS pleuriticum dolorem a vera solius pleurae inflammatione derivavit, quia nec muscoli intercostales nec pulmones ipsi tanto sensu gaudeant, quanto pleura nervosa et tenuis. Superiore parte vero pleurae inflammationem plerumque simul pulmones afficere, inferiore saepius solam reperiri. 40)

13.

Nostro demum saeculo SWIETENIUS, negligens argumenta adversariorum, a parte eorum stetit, qui in solius pleurae inflammatione pleuritidis naturam quaesiverunt. Tussim pleuritidi adjunctam, quam ex passione pleurae derivari non posse variè crediderunt, explicat ex tumore pleurae, quo pulmones comprimantur, licet antea negasset, pleuram inflammata intumescere. 41)

Ipsè quoque MORGAGNIUS, quanquam plurimis extirpiciis pleuritidis symptomata ex pulmonum passione et adhaesione ad pleuram explicaverit, ter tamen pleurae veram inflammationem invenit, postquam variis pleuritidis symptomatibus aegri laborassent. Primum post dolorem pungentem sinistri lateris, cum decubitu in latere sinistro difficili et tussim movente, pulsusque duros et celeres, invenit pleuram a sinistra parte asperam, rubeisque

40) SENNERT. pract. lib. II. part. 2. c. 16. p. 157.

41) SWIETEN. comm. in BOERH. aphor. vol. III. p. 8.

brisque tuberculis inaequalem: pulmo hujus lateris sanus, dexter vero ligamentis morboſis arcte pleurae adhaerebat. Tum poſt dolorem pungentem pleuram vere inflammataſ, pulmonis quoque ſubſtantiam hepaticam invenit. Maximam denique laeſionem pleurae in juvene, qui toto pectoris ambitu punctiones ſaeviſſimas ſenſerat, cubare niſi in dorſum non poterat, pulſibus frequentibus et parvis. Poſt mortem obſervata eſt pleurae inſignis pars ſemicorrupta et fracida, pulmones vero membranis cum pleura cohaerentes. 42)

14.

Non his ſolum ſed ſuis etiam obſervationibus et argumentis anatomicis, quae ventilando adhuc nobis propoſuimus, fretus, pleurae affectum pleuriticum vindicavit HAENIUS. Secto cadavere hominis, qui dolorem pleuriticum paſſus fuerat, pleuram vere inflammataſ, et vaſa ejusdem numeroſiſſima conſpexit; MORGAGNI differentes obſervationes in partem ſuam trahere conatus eſt. 43)

COTUNNIUS in pleuritide muſculos intercoſtales et pleuram apprime inflammataſ, pulmonibus illaeſis, invenit. 44)

Pariter

42) MORGAGNI de ſed. et cauſſ. morb. ep. XXI. n. 32. 33. 36.

43) HAENI's Heilungsmethode, von PLATNER, Th. IX. k. 4. S. 252. ff.

44) SARGONE Geſchichte neapolit. Krankh. Th. I. p. 136.

Pariter DON. MONRO saepius se reperisse pleurae et intercostalium musculorum tumorem testatur, ubi pleuritidem aeger passus fuerat, pulmones vero inflammatos, ubi pneumoniae symptomata adfuerant. 45)

15.

Probe distinguit MUSGRAVIUS inflammationem pleurae ab inflammatione pulmonum: in illa augeri dolorem inspirando, sternutando, tussiendo, oscitando, ob extensam tunc pleuram: in hac vero adlevari inspiratione, dolorem quoque gravatum fere semper esse. 46)

III. Pleurae inflammatio absque symptomatibus pleuritidis.

16.

Observationes jam allegatae, etiam si confirmare vulgarem opinionem de sede pleuritidis videntur, multo plures tamen exstant animadversiones vel de pleurae vera inflammatione absque pleuritidis suetis symptomatibus, vel de pleuritidis symptomatibus cum pulmonum inflammatione.

Quod

45) MONRO Kriegs- Arzneywissenschaft, von BEQUE DE PRESLE, Th. II. S. 304.

46) MUSGRAVE'S Gullston, lectures, p. 49.

Quod primum attinet, habet hoc pleurae inflammatio cum aliis viscerum inflammationibus commune, quod lateat quandoque, neque suctis symptomatibus conspicua sit. Neque hoc solum, sed alia longe symptomata cum pleurae inflammatione, ac cum pleuride sic dicta conjuncta esse videntur. NANNIUS enim *) rarioribus casibus pleurae solius inflammationem se invenisse testatur, cum aegri absque sputis intra biduum conficerentur. Ita MORGAGNIUS refert pleuram inflammationem se invenisse, pulmones vero minus, cum aeger dolorem gravativum dorsi questus fuisset, neque decumbere nisi in sinistrum latus potuisset. 47) Adolescentuli quoque, qui nil nisi dyspnoeam conquestus fuerat, cadaver aperuit, pleuramque, cum pulmonibus arcte connatam, ad posteriorem dextri lateris faciem coccineam et inflammatam, sinistrorsum vero duram et crassam invenit. 48) Alio loco meminit mulieris, quae difficultatem respirationis cum sensu ponderis pulsibusque humilibus et intermittentibus patiebatur: secto post mortem cadavere, pleura utrinque roseo colore conspicua, cum pulmonibus turgidis cohaesit, sero ubique inter pulmones et pleuram stagnante. 49)

*) Commentar. societ. Bonon. vol. I. cl. med. p. 153. 17.

47) MORGAGNI ep. XX. 56.

48) Ep. XVI. 30.

49) Ep. XLV. 16.

17.

ZEVIANI observavit veras pleurae inflammatio-
nes, quae vero nec dolore adeo acuto, nec tussi
frequenti et molesta, nec sputis stipatae incidebant.
Dolores neque tactu neque inspiratione augebantur;
solvebatur fere semper morbus sudoribus et urinis.
Quodsi vero sputa et tussis humida et dolor vehe-
mens, pungens accederent, pulmones fere ubique
patiebantur. 50)

Apud MEDICUM legitur historia hominis, qui
praeter respirationis difficultatem nullum fere dolo-
rem fenserat, post mortem vero pleurae insignis sa-
tis inflammatio observata fuit. 51)

Ita et FREINDIUS, licet duritiem pulsus, tan-
quam signum characteristicum pleurae inflammatae
assumeret, tamen neque tussim, neque puris secreta-
tum necessarium esse in hoc morbo, ultimum ne-
quaquam in pleurae inflammatione accedere posse,
nisi pulmones simul inflammati fuerint, contem-
dit. 52)

18.

Haec enim sputorum repurgatio ex pulmoni-
bus originem ducere tantum posse, patet ex defectu
immediati nexus inter locum pleurae affectum et

B 2 bron-

50) ZEVIANI della parapleuritide, c. 3. p. 30. 31.

51) MEDICUS Sammlung von Beobachtungen, S. 460.

52) Comment. 5. de febr. p. 21, f. (4. Paris. 1735.)

bronchiorum ramos. Superficiem quidem pulmonis esse porosam, eoque modo pus resorbere, statuerat jam Thom. BARTHOLINUS: 53) nuperisque temporibus detecta vaporum absorbentium in superficie pulmonum copia, quae ad asperae arteriae ramos in glandulas bronchiales terminantur, 54) videtur adhuc melius hoc explicare. Sed mutari tamen atque attenuari debet purulenta materies in pleura parata, neque tam copiose adeoque crassa substantia evacuari. Videmus quoque empyemate plurimos laborare, qui tamen purulenta non exspuant. 55)

Hinc absque spuitis decurrere veram pleuritidem BRENDelius *) TRILLERUS 56) et WENDTIUS 57) docuerunt. Pungentes quoque dolores saepius abesse a vera pleurae inflammatione, patet ex STOLLII observationibus. Homo nempe, qui hydrothorace et pulmonum affectibus laboraverat, post

53) Anatom. reform. lib. II. c. 9. p. 280.

54) SÖMMERRINGS Gefäßlehre, p. 474.

55) RICHTER opuscul. vol. III. p. 99. --- HALLER opera minora, vol. III. obs. 15. p. 293.

*) Opp. vol. II. p. 60.

56) De pleurit. c. I. §. 4. 5.

57) Diss. sist. observ. de pleurit. et peripneum. p. 29. (Gött. 1762.)

post mortem ostendit pleuram summe inflammata. 58) Alioque casu, qui oppressione pectoris summa cum pulsibus exilibus, sine ulla tussi, absque punctionum ullo sensu, laboraverat, tandem expiravit. Pleura deprehenditur maculis rubris copiosis, vasisque inflammatorio infarctu rubentibus luculenter distincta: pulmones suppurati cum pleura concreverant. 59)

19.

Saeplissime omnino accidere haec pleurae inflammatio videtur absque ullo pleuritis symptomate: namque in plerisque adulatorum cadaverum sectionibus vel praesentis vel praeteritae inflammationis signa videnda se praebent. Transfit enim saepenumero in transfudationem, ut crassior fiat, utque ligamenta nascantur, quae pulmones cum pleura nectunt. 60)

20.

Quod vero genuinam pleurae inflammationem nulli dolores comitari possint, aut saltem haud tam acuti et pungentes, quales solent describi, HALLE-
RUS ex infensilitate pleurae concludit, quam plusquam

58) STOLL, rar. med. vol. III. p. 315.

59) *Ib.* vol. VII. p. 77.

60) Cf. BAILLIE Anatomie des krankhaften Baues, S. 30.

quam XLVIII experimentis, tum suis, tum FONTANAE, CALDANI, CASTELLI, HEUERMANNI, ZIMMERMANNI aliorumque confirmat. 61) BOERHAAVIUM quoque citat, qui jam dixerit, pleuram, dum inspiramus, potius levari, costis ad se invicem accedentibus, diminutisque earum intervallis, cum in expiratione diductas inter costas pleura extenderetur. Sed in pleuritide inspirantes dolent, tunc adeo dolent, quando pleura minus patitur, minime dolent, quando eadem extenditur. Non ergo, ita solebat docere BOERHAAVIUS, in pleura pleuritis (vulgo sic dictae) iedes est. HALLERO vero sufficisse videtur, maximos nervos, qui inter costas sunt, quocumque modo pati. Ab HALLERI quoque partibus stat circa infensilitatem pleurae, SARCONIUS. *)

21.

HALLERI autem experimenta, licet summa cautela instituta fuerint, refutare studuerunt et HAENIUS, 62) et WHYTTIUS 63) et RAGNICZKIUS, 64) quorum argumenta nostris autem temporibus

61) HALLER opp. minora, vol. I, p. 356. 501.

*) Gesch. neapol. Krankh. B. I, ed. 134. S. 123.

62) Heilungsmethode, Th. XIV. S. 242.

63) Theoret. Schriften, S. 473.

64) Medic. Comment. von Edinb. B. VIII. a. S. 142.

poribus inutilia esse videntur, cum partim MECKELII nostri artificio nervi pleurae satis luculenter elaborati sint, partim HUMBOLDTII experimentis egregiis, quas propediem divulgabit, atmosphaera sensibilis nervorum confirmari videatur. Quod si itaque quibusdam pleurae locis nervi nulli demonstrari potuerint, nil impedit quominus vicinorum nervorum sensibilem atmosphaeram eo usque pertingere, si modo haud ultra quinque pollicis geometrici quadrantes remotus sit locus a nervo, assumamus.

IV. Pleuritis symptomata, dum pulmones paterentur, absque ulla pleurae laesione.

22.

Jam supra (§. 3.) monuimus, antiquissimam pleuritidis definitionem pulmonum passionem involvere. Hanc vero definitionem post HEROPHILUM ad saeculum usque XVI. nemo fere protulit. Primus, qui eandem iterum restitueret, fuit: ALEXANDER TRAIANUS PETRONIUS, medicus Vetus. 65) Hunc sequutus est IO. MANELPHUS, 66) et affectae hujus AETIUS CLETUS, 67) ANTON. VITA-

65) Aphorism. med. 101. (8. Venet. 1535.)

66) De parte affecta pleurit. decertatio. 8. Rom. 1642.

67) Animadvers. circa partem affectam pleurit. 8. 1643.

VITALIANUS 68) et JUL. CAES. BENEDICT. A GUELFALIONE, 69) qui argumentis, maxime ab auctoritate HIPPOCRATIS et a sputorum impedito transitu ex pleura ad asperam arteriam, desuntis, hanc tueri atque defendere opinionem studuerunt.

23.

Contra hos vetustae opinionis defensores furrexerant quidem praeter BALDUM BALDIUM (§. 11.) alii scriptores: sed accepit quoque plures et virtute et meritis claros propugnatores.

Ex his nuncupare prae aliis placet Felicem PLATERUM, medicum Basileensem, fama insignem. Hic concedit quidem, pleuram inflammari posse, se vero in pleuritide, quam veram vocant, semper pulmones inflammatos spectavisse. Rationes addit ex sputis desumptas, quae ex pleura inflammata aut suppurata haudquaquam tam cito exscreari possint. 70) Punctiones derivat ab inflammatione superficiei pulmonum aut a tractione pleurae.

24.

Eadem ratione PETRUS SERVIUS, archiater Romanus, affirmare solebat, plusquam CCC in noso-

68) Scholion ad Manelph, decernat. §. 1644.

69) Tutelaris columna, in qua statuitur, pleuritidem fieri, dum una pulmonis ala afficitur. §. Rom. 1644.

70) Prax. med. tom. II, c. 10. p. 338. f.

nosodochio S. Spiritus pleuriticos a se sectos et semper lobum pulmonis alterutrum affectum materique repletum conspectum esse, pleura aut nihil omnino ad sensum vitata, aut leviter quodammodo inquinata. Hoc etiam primo morbi die se ita habuisse, ut materies ex pleura ad pulmones delapsa fuisse non videatur. 71)

GUARINONIUS refert, in pleuriticorum cadaveribus pulmones ipsos plenos, duros et sua membrana crassissima facta deterfos, ac si erysipelate fuissent affecti, inveniri. 72) Ita ZECCHIUS se in omnibus pleuriticorum cadaveribus non pleuram, sed pulmones cum membrana propria laceratos et corrosos invenisse testatur. 73) Post pleuritidem ROLFINKIUS vidit pulmones cadaverum duros et inflammatos; pleurae accretos, feri denique colluviem in cavitate posteriore. 74)

25.

Ut plura adhuc similia afferamus exempla, LANZONIUS narrat, Ferrariae anno 1696 pleuritidem malignam grassatam fuisse. Cum autem
lis

71) WELSCH curat. propr. dec. I. obs. I. p. 4.

72) Consil. med. conf. 161. p. 184. (fol. Lugd. 1610.)

73) ZECCH, consil. 26. app. p. 273. (8. Fref. 1650.)

74) BONET. sepulcret. lib. II, sect. 4. p. 628.

lis esset de sede pleuritidis, mulieris hac lue-
 enecatae cadaver aperuit, e quo lis tanta dirime-
 retur. Ecce pulmonis media pars, absque ulla
 pleurae lacione, erysipelate apparuit infecta, tume-
 facta ac maculis conserpta. Adfuerant autem in
 morbo punctiones lateris et pulsus durus. 75) Paullo post idem refert, in hominis pleuritide
 extincti cadavere abscessum alae pulmonis dextrae
 se invenisse. 76)

DILLENIUS invenit in cadavere pleuritic
 pulmones scirrhosos, thrombis refertos, gangrae-
 nosos, pleura ut videtur, illaesa. 77)

Imo FISCHERUS putat nil certius esse, nisi
 quod in pulmonum alterutro tantum lobo pleu-
 ritis sedem habeat, cum ipse hoc sectione
 animadverterit. 78) In corpore septuagenariae,
 pleuritide secundaria extinctae, pulmones suppu-
 ratos apprehendit POTERIUS. 79)

26.

GUIL. BALLONIUS vidit ipse praeter Caroli
 IX. et Ioannae Navarrensum Reginae, corpora,
 multa

75) Ephem. nat. cur. dec. III. ann. 5. obs. 120. p. 249.

76) *Ib.* obs. 122. p. 252.

77) *Ib.* ann. 10. obs. 241. p. 423.

78) *Ib.* cent. IX. obs. 80. p. 124.

79) Obs. cent. II. obs. 51. p. 155.

multa alia secta, ubi post laterum dolores pun-
gentes pulmones inflammati erant et corrupti. Hinc
deceptos fuisse medicos, si pleuritidem in ejusmodi
casibus adesse statuerint, arbitratur. 80) Ex his
aliisque exemplis SYDENHAMUS jam effecerat,
pleuritidem et peripneumoniam gradu tantum,
non sede differre. 81) Confirmavit hanc senten-
tiam FRIED. HOFFMANNUS, qui falsam esse
distinctionem pleuritidis et peripneumoniae opina-
batur. Illam enim in externa pulmonum facie,
hanc in substantia pulmonum ipsa sedem habere:
trahi tamen saepius et pleuram in consensum, quae
in plerisque hominibus cum pulmonum super-
ficie cohaereat. 82)

27.

Masculis, ut solebat, et observationibus suis
experimentisque fretus sedem pleuritidis in pulmonibus
magnus HALLERUS defendit, qui cum in omni-
bus pleuriticorum cadaveribus, quae secandi facultas
ipso data erat, inflammationes aut abscessus pulmo-
num invenisset, adeo raram esse solius pleurae ve-
ram inflammationem, ut vel paucissimis eandem
videre contingat, si vero adfit, pedissequam esse
in-

80) Epidem. lib. II. p. 102. ed. THEVART.

81) Opp. sect. VI. c. 3, p. 165.

82) HOFFMANN med. rat. syst. vol. IV. sect. 2. c. 6. p. 426.

inflammationis pulmonum vicinorum aut adhaerentium, contendit. 83)

28.

Nemo vero majori studio et cura in hoc morborum genere laboravit, quam immortalis MOR-
GAGNIUS, tam suis, quam VALSALVAE dissectionibus edoctus, rarissimam esse veram foliis pleurae inflammationem cum symptomatibus quibusdam inflammatoriis stipatam. Etenim symptomatam pleurae inflammationem quae brevi mortem antecedit, saepius occurrere, jam supra monuimus (§. 19.) Pauca vero tantum ex amplissima MOR-
GAGNII suppellectile delibare placet.

Senex lateris dolore pungenter, gravativo, vehementi febre, sputis cruentis laborabat; duri pulsus et frequentes. Post mortem sectum cadaver ostendit pulmones duros et valde compactos, membrana extima facillime separabili, per membranulas versus scapulas, pleurae adhaerentes a dextra parte. Hac occasione molles plerumque pulsus in pneumonia inde clarissimus auctor explicat, quod vasa sanguifera pulmonum, si bronchialia excipias, haud adeo arcte cum aorta cohaereant, ut irritationem suam cum eadem communicare possint. Quodsi vero duri nihilominus pulsus fiant, pendere hoc a vehementiori inflammationis gradu, aut

83) HALLER. opp. min. vol. III. obs. 15. p. 293.

aut a rigiditate tunicarum, ut in hoc fene. Graventem dolorem oriri ab eo inflammationis gradu, qui pulmones turgidos undique impleat, ut pleuram divellere atque distrahere nequeant, pungentem autem esse, dum haec divulsio ac distractio fieri possit, praesertim ob cohaesionem pleurae cum pulmonibus. 84) Confirmatur haec sententia sequentibus historiis hominum, qui punctiones pectoris conquesti fuerant, post mortem vero conspiciebatur arete colligata cum pulmonibus pleura. 85)

Ubi etiam in his casibus pleura affecta videbatur, ibi tantum obducta erat lympa ex orificiis arteriarum exsudata, qua deterfa, pleura sana videbatur, licet inflammati vere essent pulmones. Fac enim, inquit magnus incisor, aliquos vel celebres in vulgus medicos, in aegris invisendis multum, in cadaveribus vero introspiciendis leviter aut nihil exercitatos, hominis, qui non sine pleuritidis signis obierit, dissectioni interesse, per expertum, ut saepe accidit, chirurgum instituta; huic autem pulmones a pleura removere conanti, contingere, ut disrupto repente abscessu, in ea pulmonis parte, quae artius pleurae connexa fuerit, pus erumpat, puris vero et dilaceratae annexi pulmonis reliquiae ad pleuram, ut solent, etiam tum
restent

84) MORGAGNI ep. XX. 33.

85) *Ib.* n. 35. 39. 42. 47. XXI. n. 17. 19.

restent adhaerentes, cum pulmo reliquis, emisso pure statim concidens, abscessus cavum contraxerit, et fere occultaverit, aut, siquid hujus ostendat, effectum potius et partem cujusdam proximi in pleura suppurati tumoris ostendere videatur. Noli dubitare, quin continuo pronuncietur, satis esse quaesitum, pleuram ab se evidenter conspectam, putrefactam, corruptam et collecto pure manantem, praepudicata opinione nullam erroris suspitionem relinquenti: qui perquam facile vitari potuisset, ubi reliquis illis, cauti et diligentis prosectoris manu abrasis, sub iis pleura aut levissime affecta, aut etiam, quemadmodum VALSALVAE contigit, sana prorsus et omnino illaesa relecta esset. 86)

Pari modo IO. CASP. ANT. MÜLLER 87) narrat, se in cadaveribus pleuriticorum pleuram vidisse sanguiferis vasis turgidam, sed, ablata cellulosa, simul evanuisse inflammationem et pellucidam evasisse pleuram.

29.

Cum FRIED. HOFFMANNO (§. 26.) consentit CULLENUS, qui pleuritidis sedem fere semper in membrana pulmonum propria, seu pleurae ea parte, quae pulmones vestit, esse, nulloque modo pneu-

86) *Ib.* XX. n. 62.87) *Diff.* de sede et indole pleurit. p. 12. (Giesl. 1754.)

pneumoniam a pleuritide distingui posse, arbitratur. 88)

Pertinet huc quoque BEAUSSERII observatio pleuritidis suctis symptomatibus stipatae, quae puer corripiebatur, cum faba ipsi per asperam arteriam in pulmones illapsa esset. Tussiendo sexta die ejiciebatur faba. GESNERUS tamen, hanc referens observationem, bene animadvertit, dolorem saepius in alia parte sedem habere, in alia sentiri. 89)

REGIUS 90) et VIEUSSENIUS 91) cum hac opinione consentiunt, quippe qui cadaveribus bene multis dissectis, sedem pleuritidis in pulmonibus fere semper deprehenderunt. SCHRÖDERUS quoque ex punctioibus pectoris, quae phthisin pulmonalem comitari solent, concludit, pleuritidis sedem in pulmonibus ipsis quaerendam esse. 92)

30.

TISSOTUS porro, dissectis septem cadaveribus hominum pleuritide extinctorum, in quibus pulmones

88) First lines of the practice of physic, vol. I. §. 341. 342.

89) GESNER'S Entdeckungen, B. III. S. 177.

90) PRAX. med. lib. II. c. 11. p. 128.

91) Nevrogr. lib. III. c. 4. p. 185.

92) Opp. vol. I. p. 106.

mones unice inflammatos, pleuram vero plane integram observaverat, ex ipsis insuper symptomatibus, tussi praesertim et sputis, confirmat sedem pleuritidis pulmonalem, simulque aliorum objectiones argumentis conatur exquiritis refellere. 93) Alio denique loco extimam potius superficiem pulmonum pati asserit. 94)

Confirmatur hoc STOLLII observationibus, quippe qui in homine, post asthma dolore punctorio lateris et aliis pleuritidis symptomatibus correpto, solos pulmones inflammatos, et, pleura illaesa, corruptos invenit. 95) Dolorem quoque punctorium in pleuritide, more MORGAGNII, pleurisque in casibus a coalitu pulmonum cum pleura derivat. 96) Alio loco priscam HIPPOCRATIS sententiam de sede pleuritidis his verbis confirmat: "Nullum equidem pleuritidis in peripneumoniam transitum plerumque letalem a metastasi materiae e pleura, quam toties in cadaveribus pleuritico- rum illaesam deprehendimus, ad pulmones facta, sed

93) Lettre à Mr. HIRZEL sur quelques critiques de Mr. de HAEN, p. 18-46. Cf. BALDINGERS medic. Journal, St. 23, S. 23.

94) TISSOT avis au peuple ch. V, §. 90.

95) STOLL, rat. med. vol. I, p. 140.

96) *ib.* p. 144.

“sed ab eo potius inflammationis augmento re-
 “tere, quo focius pulmo adeo comprimitur, ut
 “is alterius laborantis officio interea fungi ob com-
 “pressionem non possit., 97)

31.

Testium agmen claudat magni nominis
 medicus nostras, FRANKIUS, quem (ipsum sunt
 verba) centenorum cadaverum inquisitio docuit,
 in paucissimis, qui ex pleuritide decubuerant,
 inflammationis sedem ad ipsam pleuram haesisse:
 vix autem non omnibus, sine pleura, pulmones,
 non alio modo, quam quibus sola peripneumonia
 credebatur propria, inflammatos fuisse. Nec his
 paucis vel sola et sine pulmonum inflammatione
 pleura, quod ab aliis interdum observatum fuisse
 legitur, incensa fuit, sed cuius inter illos pul-
 mones quam maxime tuebant et veram mortis
 causam non in superficiali minusque letali mem-
 branae istius phlogosi, sed in ipso hoc spongioso
 respirationis organo latere testabantur. 98)

V. Coniunctus uterque morbus.

32.

Cum itaque pleuritidis vulgo sic dictae sympto-
 mata plerumque pendeant ab ipsorum pulmonum
 in-

97) *Ib.* vol. VII. p. 185.

98) FRANK, de curandis hom. morbis, lib. II, p. 123. 124.

inflammatione, si nempe vel alteruter tantum pulmo patitur, vel conglutinata est pleura cum pulmonibus, unde divulsio et distractio oritur, pulsus durus et punctiones: patet, discrimen nullum essenziale adesse plerumque inter utrumque morbum, sed vix non semper simul existere inflammationem pleurae et pulmonum ipsorum. Cujus denique rei testes adhuc adducere placet.

REMBERTUS DODONAEUS in vera phthisi pulmonali ulcerosa tum demum oriri dolorem pleuriticum, et punctiones pectoris, cum adglutinata fuerit pleura ad pulmones primario patientes. 99) Ex MORGAGNII deinde variis animadversionibus patet, 100) ubi dolor pungens adfuerat, pleuram quidem inflamatam cum pulmonibus cohaesisse, sed hos potissimum morbo correptos fuisse. Hinc TRILLERUS jam utrumque morbum sub nomine pleuroperipneumoniae complectitur, 1) quem sequuntur et BANGIUS 2) et FRANKIUS, 3) ut alios taceam.

33.

GUARINONIUS quoque jam ex multis cadaverum sectionibus monstravit, pulmonum inflammationem pleuritidem pedissequam habere, praesertim si succingens membrana, quod in plerisque adul-

99) DODON. rar. observ. exempl. c. 22. p. 40.

100) Ep. XXI. n. 32. 33.

1) De pleurit. c. I. §. 8. p. 12.

2) Prax. med. p. 169.

3) L. c.

adultis contingit, pulmonibus adhaeret. 4) Sic
 10. DE MURALTO ex pleuritide peripneumonicum
 fecans, dextrum pulmonem pleurae accretum, in-
 gentem partem pleurae suppuratam invenit et
 faniem in cavum thoracis effusam. 5)

Hinc PRINGLIUS quoque cadaverum sectioni-
 bus edoctus sub eodem capite utrumque tractat
 morbum, cum pleura nunquam aut rarissime saltem
 sine pulmonum, pulmonum vero saepissime inflam-
 mationes cum pleurae phlogosi contingant. 6)
 Sequuntur Pringlium et QUARINUS 7) et BURSE-
 RIUS, 8) dum saepissime conjunctum esse utrumque
 morbum asserunt.

34.

Patet itaque ex praegressa disquisitione

a) Pleuritis nomen antiquo genuinoque
 sensu, non pleurae inflammationem, sed quemcumque
 pungentem lateris dolorem signare.

b) Veteres ante DIOCLEM medicos pleuritis
 sedem in pulmonibus ipsis quaesivisse, posteris tem-
 poribus vero cum anatomia restituta hunc sensum
 iterum restitutum esse.

c) DIOCLEM, ERASISTRATUM eorumque secta-
 tores tam acriter pugnasse pro sede pleuritis in
 pleura, quoniam tunicam hanc mire sensibilem
 cre-

4) QUARINON. conf. 210. p. 233.

5) BONET. sepulcret. lib. II. sect. 4 p. 626.

6) Von den Krankh. einer Armece, Th. III. c. 2. S. 160.

7) Method. medend. inflamm. p. 69.

8) Institut. medic. pract. vol. IV. c. 4. p. 102.

crederent, propaginemque arbitrentur meningis duræ, quæ sensum omnibus nervis impertiat.

d) Arabum distinctionem esse mere hypotheticam, neque niti observationibus.

e) Pleuritis vulgo sic dictæ symptomata, pulsam putam duram, et punctiones pectoris, pendere potius a cohaesione pulmonum inflammatorum cum pleura, quam ab inflammatione folii pleuræ.

f) Pleuram omnino esse vasis locupletem et nervis ditatam.

g) Pleuram quidem interdum inflammari, sed ea symptomata inde non oriri, quæ vulgo prædicantur, quin sine sputis et tussi vehementi, sæpius etiam sine punctioibus aut dolore ullo, intra breve tempus decurrere morbum.

h) Pleuram quandoque inflammatam observari in cadaveribus hominum, qui nil conquesti fuerint, ex quo ad hunc morbum concludi possit.

i) Fallaciam sæpius subesse, ubi post pleuriticos dolores pectoris cadaveris pleuram inflammatam se invenisse testatur: muco enim, pure, cellulosaque deterfis, pleuram tunc demum sanam reperiri.

k) Symptomata pleuritis vulgo sic dictæ, velut dolorem pungentem, inspirando acutum, freatumque sputorum adeo contrariæ esse inflammationi pleuræ, ut inde explicari plane nequeant.

Halle, Diss., 1795/1800

ULB Halle

001 938 460

3



56.

vel 18







med. V. 3- in 1796.

Double

7

SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

DE

LOCIS IN PLEURITIDE
AFFECTIS,

1796

QUOD,

ANNUENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE,

PRAESIDE

VIRO ILLUSTRIS, EXCELLENTISSIMO,

IOANNE CHRISTIANO REIL,

MED. ET CHIRURG. DOCT.,

THERAP. PROF. PUBL. ORD., SCHOL. CLIN. DIRECT.,

CIVIT. HALENS. POLIATRO, ACAD. NAT. CURIOS. ET

SOCIET. HELVET. MED. CORRESP. SODALI,

UT

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME ACQUIRAT,

DIE X. MART. MDCCXCVI.

PUBLICICE DEFENDET

MOSES LABAND,

SILESIUS.

HALAE,

TYPIS BATHÉANIS.